

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0044

0042

0048

0038

0053

0033

0093

0143

0543

1043

Ende

Anfang

33

orationem genufleximus et adorato Domino indulgentias recepimus et spirituali disciplina instructi sumus, pensantes, quam periculosum sit, nomen Christiani vel religionis habere sine fructu, in quos utique maledictio divina desaeviet, qua arescentes aeternis ignibus parentur cremandi. Inde progressi ascendimus in Bethaniam, castellum Mariae, Marthae et Lazari, per quod concitato gradu transivimus. De quo habetur fol. 213 A. Et de castello descendimus in desertum. Monstat per vias asperas et per clivos periculosos. Incepit autem fieri nox, quia sol occubuerat, et optavimus in aliquo (B) loco manere propter viae asperitatem usque ad ortum lunae, et cum profundius descendissemus, factae sunt tenebrae, et venimus ad unam grandem domum testudinatam, per circuitum habentem (in) internis ambitum sicut monasterium, et erat desolata et vacua, et juxta illam domum de asinis descendimus, ut ibi paululum quiesceremus. Et accensis luminibus domum ingressi sumus ad quaerendum locum quietis, sed minime invenimus, quia domus erat ruinosa et immunditiis ac vermibus repleta, et exeuntes ante domum nos locavimus in terram divisi per societates. Sarraceni autem ductores nostri seorsum etiam simul manebant supra nos altius. Porro ductoribus adhaerebant quidam mali juvenes nobis infesti, ut patebit. Cum ergo collationem simul fecissemus, lumina exstinximus, et capita super sacculos nostros ponentes dormire coepimus. Interea quidam juvenis Sarracenus occulte et furtive descendit in tenebris in agmen peregrinorum et saccum unius peregrini, quem putabat dormire, arripuit, et cum eo ad suos cucurrit; post quem peregrinus ille cum suis sociis sequebatur clamans et saccum rehabuit. Modico intervallo facto alius occulte descendit et furatum saccum cum pane, caseo et fumigatis carnibus et duris ovis ad suos confugit, quod ut peregrino innotuit, clamare coepit et peregrinos in sui adjutorium invocavit. Ad hoc peregrini surrexerunt, et multi cum impetu contra Sarracenos cucurrerunt, et fuit factus tantus tumultus et insultus, quod Sarraceni cum gladiis et baculis peregrinos a se repellere coacti sunt, et lapides contra se levabant, nullus tamen adhuc jacere inceperat, quia, si unus lapis missus fuisset, absque dubio periculo sissimum bellum factum fuisset, quia infiniti ibi